(7

1795.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE MORBO, &c.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM

DE MORBO, QUO JECUR EUROPÆORUM IN INDIA ORIENTALI AFFICITUR, EJUS CAUSIS, ET GENERALI VALETUDINE TUENDA,

COMPLECTENS;

QUEM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu,

Et Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS MACFARLANE,

SCOTUS;

SOC. REG. MED. ET AMER. PHYS. EDIN. SOC.; CHIRURG. COLLEG. LOND. ET EDIN. AUCTORITATE CONSTITUTUS; ET OLIM NAVIS INDIÆ ORIENTALIS CHIRURGUS.

Ad utilitatem vitæ, omnia conſilia factaque noſtra dirigenda ſunt.

TACITUS.

Ad diem 25 Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

TYPIS GEORGII MUDIE ET FILII.

1798.

IMPRIMIS,

MEMORIÆ

JOANNIS SMALL,

COPIARUM BRIT. PRÆFECTI,

Nupèr defuncti,

Viri, tùm ob publicas, tùm ob privatas, virtutes,

Paritèr inſignis,

Ab amicis, et omnibus bonis,

Sempèr honorandi deſiderandique:

DEIN,

Ejus amicis ſpectatiſſimis,

VIRO REVERENDO,

JACOBO M'LAGGAN,

DE BLAIR-ATHOLE,

ET

ALEXANDRO FRASER,

ARMIGERO,

DE LINCOLN'S-INN,

Juris peritiſſimo;

Propter multa beneficia ab his in ſe collata:

DENIQUE,

JOANNI SCOTT BUTTER,

DE FASKALY,

Quîcum, per nonnullos annos, conjunctiſſimè vixit;

HOCCE TENTAMEN,

SACRUM VULT

JACOBUS MACFARLANE.

Pag.

PROŒMIUM, 1

PARS I.

Quædam de Morbo, quo jecur Europæorum in India Orientali afficitur, complectens, - 3

PARS II.

De Cauſis Remotis, - - 21

PARS III.

De Cauſa Proxima, - - 42

PARS IV.

De Generali Valetudine Tuenda, - - 52

Mr. Baumgartner
from the Author.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM

DE MORBO, QUO JECUR EUROPÆORUM IN INDIA ORIENTALI AFFICITUR, EJUS CAUSIS, ET GENERALI VALETUDINE TUENDA, COMPLECTENS.

AUCTORE *JACOBO MACFARLANE.*

PROŒMIUM.

QUUM amplitudo regionis, quam in India Orientali poſſidemus, in animo perpendatur, ſecunda valetudo *Europæorum*, qui illùc commigrant, quorum multi ſummis muneribus funguntur, maximi momenti haberi debet; ſive eorum ſalutem, ſive regionis ipſius, ut coloniæ ad Britanniam ampliùs pertinentis, proſperitatem ſpectes.

 Sed

Sed quamvis, ſi hæc eſſent ritè perſpecta, medicorum in India degentium meritò attentionem exercitârint neceſſe eſt, mirum tamen eſt, trecentis ferè annis, ex quo impiger ille De Gama illam regionem Europæ incolis commonſtravit, paucos vel nullos eorum, qui per longum vitæ ſpatium in morbis ibì curandis verſati ſunt, certa ſigna, errores, in quos inciderant, oſtendentia, poſteris tradidiſſe.

Nemo tamen inficias ibit, morborum, quibus *Europæi* in India plectuntur, naturam meliùs hodiè, quam olim fuit, notam eſſe: ſed hæc notitia debetur partìm laboribus paucorum in noſtrâ orbis terrarum plagâ clar. virorum, partìm aliquorum induſtriæ, qui colonias noſtras orientales viſitârunt; qui autem ob officia quæ tenebant, morbos, quos regimine magìs idoneo adhibito, alleviare et ad ſimplicitatem redigere voluerunt, tantùm obitèr obſervare potuere.

PARS

PARS I.

QUÆDAM DE MORBO, QUO JECUR EUROPÆORUM IN INDIA ORIENTALI AFFICITUR.

Morborum, qui *Europæos* in Indiâ adoriuntur, nullus, (ni fallor), inveſtigatione dignior exiſtit, quam peculiaris affectio cui jecur obnoxium eſt; quippe quæ adeò frequentèr occurrat; curſum ſuum nùnc rapidiſſimè peragat, nùnc inſidioſè et vafrè ægrum miſerum aggrediatur, tardam ſed certam perniciem ſecum allatura.

Hæcce jecinoris affectio in acutam et chronicam rectè diviſa eſt; quæ diſtinctio medico prodeſt, quoniam ad varietatem, modi utramque tractandi, ejus attentionem dirigit.

Prior originem præbet ſeriei ſymptomatum, quæ eam præſentem eſſe tàm accuratè declarant, ut nemo, negligentiſſimus morbique naturæ

turæ ignorantiſſimus, eam unquam cum ullâ aliâ confundere periclitaretur; ejuſque definitionem tradidit clarus Cullenus concinnam et perſpicuam.

Poſterior eſt morbi forma magìs inſidioſa et adhùc non parùm obſcura. Sæpiùs quidem uſu venit, quamvis nullum ſignum, quod morbum adeſſe indicabat, apparuiſſet, curſum ſuum peregiſſe. Hìnc *mercurius* plerumquè adhiberi ſolitus eſt, cum ulla ſigna morbum conſtituentia, magìs vel minùs obſervarentur; vel etiam cum minima a ſanitate inclinatio, quam ad nullum alium in *noſologiâ* morbum relegare poterant, ſubeſſet. Proculdubiò mercurii in hoc morbo applicatio ſæpè bonum effectum præſtat; ſed cum mala dyſpeptica et hypochondriaca in Europæis in India conſiderentur, cumque ſimilitudini, quæ inter illa et hanc affectionem non perfectè formata intercedit, animus adhibeatur, hujus remedii ſine diſcrimine uſus

peſſimos effectus edere periclitatur. Hìnc medens maturè ſecum reputare debet de morbo, ad cujus medelam accerſitus eſt, priuſquam medicamentum plus exitii hìnc quam boni illìnc allaturum adhibeat.

Hæ affectiones, me judice, hepatitidi obſcuræ adeò ſunt ſimiles, ut adhùc non ſatìs ſecretas fuiſſe videatur; ſaltèm proùt in illâ plagâ oriuntur. Diagnoſis in multis exemplis difficilis eſt, et diuturnâ ac diligenti medendi exercitatione ſolùm acquirenda. Hoc multaque alia ad morbos in Indiâ pertinentia, ſagaci medico amplæ materiæ, ad gloriam in arte ſalutiferâ conſequendum, exiſtunt.

Inflammatio acuta in membranis, chronica autem in ſubſtantiâ jecinoris parenchymatoſâ, contineri habita eſt. Inflammationem talium membranarum, quales ſunt peritonæum et pleura, plerumque acutam eſſe, minimè eſt negandum

negandum; ſed jecinoris ipſius inflammationem nunquàm acutam eſſe, nequaquàm veriſimile videtur; et inflammationis diverſitatem, (ut poſteà oſtendere conabor), e quantitate venoſi vel arterioſi ſanguinis, in hepate circuitum ſuum peragentis, multò magìs quam hactenùs creditum eſt, pendere probabile eſt.

Hujuſmodi affectiones omnibus Britannicis Indiæ coloniis communes ſunt: in nonnullis tamen, ut in *Madras* et *Bombay*, ſæpiùs quam in aliis occurrere feruntur; quod quoniam a diverſo loci ſitu oriatur neceſſe eſt, hujus naturæ, et in corpus humanum actionis inveſtigatio accurata, morbi ipſius indolem fortaſsè clarius explicaret.

Quamvis paucæ chronicæ hepatitidis curſum obſervandi occaſiones, quæ mihi oblatæ ſunt, me non permittunt ejus characterem dare, ſignaque monſtrare per quæ, ne ea cum morbis

ſymptomata (ut ſuprà dixi) ei tàm ſimilia habentibus, ſempèr confunderetur, cavere poſſemus; definitio ejus tamen, me judice, manca foret, niſi "*animum, nec ſponte, varium et mutabilem*" comprehenderet. Hic animi ſtatus plerumquè morbum comitatur; huicne autem vel aliis, quibuſcum eum ſæpè conjungi credo, morbis proprius ſit, haùd compertum habeo.

Quoniam morbi hujuſce eventus maximè fauſtus per reſolutionem accidit, ſic aucta bilis ſecretio criſis optima et perfectiſſima eſſe plerumquè invenitur. Vìx quidem credi poteſt, jecur congeſtione ſuâ liberari poſſe, niſi una vel plures deverſarum humani corporis excretionum hâc ſecretione abundare inveniretur. Quum igitur hoc magìs vel minùs in excretionibus accidere obſervetur; quumque complures læſæ corporis functiones ad ſanitatem paulatìm redeant, morbi ſolutio, idque pro horum ſymptomatum magnitudine, perfectiſſima

tiſſima efficitur. Paucas e naribus ſanguinis guttas, vel auctam a pulmonibus ſecretionem, perturbationem adeò involutam ac hepatis morboſi interdùm ſolvere, ſolùm e rationis ſimilitudine valdè lubricâ inferri poteſt.

Ingenioſus amicus meus Chriſtopherus Cooper, qui nupèr Com. Macartney ad Chinam comitatus eſt, caſum ſequentem, (quem, quoniam inflammationis in nonnullis exemplis magnitudinem docet, hìc citare auſus ſum), mihi tranſmiſit.

Gulielmus Chambers, circitèr octavum ætatis luſtrum agens, validâ corporis conſtitutione, qui complures annos nauta fuerat, in violentem hepatitidem acutam incidit, quæ tamen regimine antiphlogiſtico brevì ceſſit, ægerque ad ſolita vitæ munia rediit. Cum ferè per ſex hebdomadas morbi immunis, ut videbatur, manſiſſet, alteram acceſſionem expertus eſt, leviorem

leviorem quidem priori, ſed multo diuturniorem, morbuſque, contra omnia, quæ adhibita ſunt, remedia, indìes augebatur. Ad hoc, tumor circa jecinoris regionem apparuit, qui ad ſuppurationem paulatìm progreſſus, poſtremò extrinſecùs ruptus, et magna puris quantitas effuſa, eſt. Ægri viribus jàm multùm proſtratis, cibo magis nutriente uti, et ad vinum ac corticem decurrere, juſſus eſt. Puris autem deſtillatio copioſiſſima fuit, ulcuſque ipſum faciem teterrimam habebat. Diem de die, morbo ingraveſcente, ſic trahebat; cum liquida aliaque per os ingeſta, brevì poſtquàm ſumpta fuerant, et paululùm immutata, per ulcus in latere evacuari obſervata ſunt. In hoc ſtatu circiter quatridui ſpatium conſumebatur, ſed tandem, diarrhœa ſuperveniente, ſupremum obiit diem.

Diverſos morbi hujus eventus, ab auctoribus totiès iteratos, et varia quæ, ſectis cadaveribus,

 obſervari

obſervari ſolent, enumerare, operæ pretium non foret. Nautarum præjudicia, pauca, quæ a me tractata ſunt hujus mali exempla, quò minùs inſpicere poſſem, prohibuerunt.

Suprà dixi, affectiones dyſpepticas et hypochondriacas, inter mala, quæ ab *Europæorum* in Indiâ luxuriâ proveniunt, vitiorum hominum pœnas exiſtere; eaſque et obſcuriores hepatitidis ſpecies ſub formis adeò irregularibus et complicatis crebrò occurrere, ut adhùc a nobis non ſatìs dignoſcantur. Sine dubio, ſi ægri ætas, phænomena morbi acceſſioni propria, et progreſſus, proùt in uno caſu accidunt, cum aliis compararentur, et accuratum auxiliorum, unicuique caſui accommodatorum, periculum fieret, prudens medicus per anguſtias ſatìs tutò deduci poſſet. Sed, poſthabitâ temporis jacturâ quam talium remediorum inter ſeſe comparatio pareret, nihilominùs mihi perſuaſum eſt, nullam eſſe regulam, quandò harum affectionum formæ

formæ obſcuriores contingunt, quâ ab errore cavere poſſimus.

In noſtrâ plagâ, ubì neutri morborum, quorum mentionem feci, aut tàm communes, vel adeò difficultèr diſtinguendi, ſunt; medicis benè notum eſt, quam difficilè interdùm ſit quem utrique in noſologiâ locum tribuere debeant: et Dr Ferriar dyſpepſiæ ſymptomata aſcribit attentione digna. Verbis, quæ ſequuntur utitur.

"Another ſymptom of dyſpepſia frequently "deceives even experienced practitioners; "this is, a pain in the right-ſide, in the re- "gion of the liver, commonly fixed, but ſome- "times ſhooting back towards the ſpine. "With this, there is often a ſlight, but per- "manent yellow ſuffuſion of the eyes and coun- "tenance, great anxiety, frequent diſtenſion "of the abdomen, and before the returns and

" exacerbations of pain, the urine is of a bright " green colour. The tongue and lips grow dry, " and are divided by fiſſures ; the former is " covered by a rough bilious cruſt, and the legs " ſwell ſlightly in the evening. The pain in " the ſide is ſometimes very ſevere, and is then " attended with pain on the top of the right-" ſhoulder. Theſe ſymptoms, altogether, give " ſuch a ſtrong ſuſpicion of an hepatic affec-" tion, that it is not to be wondered, if we find " caſes of this kind too readily treated as ſuch. " From careful obſervation, however, particu-" larly in my own caſe, when I ſuffered this " complaint ſeveral years ago, I have no doubt " that all theſe ſymptoms may be produced by " acidity in the ſtomach, and a ſpaſmodic af-" fection of the duodenum, without any orga-" nic læſion of the liver. The diſtinction is, " that the pain may be felt to change its place " a little, on the expulſion of wind. The pulſe " likewiſe is ſoft, though very irregular. The

" ſecretion

" ſecretion of mucus from the Schneiderian " membrane is interrupted, and ſometimes " nearly ceaſes, though the patient feels a fre- " quent inclination to diſcharge it. He is ge- " nerally, but not obſtinately coſtive, and ſub- " ject to torpor and nervous oppreſſion. A " ſlight inflammation of the fauces alſo attends " this diſorder, returning once in eight or ten " days.

" The method which I have found moſt ſuc- " ceſsful in this diſorder, is to give repeated " ſmall doſes of the tinctura aloetica, ſo as to " keep the body rather looſe, to uſe daily exer- " ciſe on horſeback, and to reſide in the coun- " try, or at leaſt to avoid ſleeping in a town."

Quoniam hanc opinionem amplectitur vir, qui in medicinâ haùd parvum nomen ſibi peperit, ejuſdem refutatio, ſi quidem refutari poteſt, quamvis ingrata, magìs neceſſaria eſt.

Notæ

Notæ hepaticæ, in loco ſuprà citato memoratæ, a cauſâ, cui illas attribuit Dr Ferriar, nempè ſpaſmodicâ affectione duodeni, ab aciditate ortâ, provenire mihi clarè videntur; ſed ſi affectio hujuſmodi, undè undè orta, eandem ſymptomatum hepaticorum ſeriem, creare poſſet, cùr hæc dyſpepſiæ propria haberi debent?

Duodeni ſpaſmum, ductûs communis cholidochi oſtium, quâ in ejus cavum tranſit, afficere, et aut prorſùs obſtruere, vel tantoperè ut ſolitam hepatis ſecretionem tranſmittendo inhabile fiat; nemo, ut opinor, dubitare poteſt. In utrâvis viâ ejus organi obſtructio oriatur neceſſe eſt, quæ originem præbet ſymptomatis quorum Dr Ferriar meminit; et hæc ſymptomata morbum generare queant leniorem vel graviorem, proùt cauſa magìs vel minùs diuturna fuerit, pro magnitudine bilis obſtructionis, et proùt in parte et ſyſtemate generali

nerali ad morbidam actionem proclivitas major vel minor ſit.

Medendi rationem, quâ hic medicus utitur, jecinoris congeſtioni ſic genitæ apprimè reſpondet. Undè concludendum videtur, ſymptomata hepatica in hoc caſu a dyſpepſiâ aliena eſſe, et ad quamlibet cauſam, bilis in duodenum ſecretioni quæ obſtat, communitèr pertinere.

Nulla res in medicinâ, (ni fallor), juvenis in Indiâ medici attentionem ſibi magìs vindicat quam rapida hepatitidis acutæ ad ſuppurationem proclivitas. Hujus notitiâ ad officio ſuo diligentèr et cautè fungendum animus ejus maturè dirigitur; quippe cui benè innoteſcit, brevis temporis moram, vel remediorum timidam aut inidoneam adminiſtrationem, ægro perniciem afferre periclitari.

Dùm vero ad generalem bonum effectum,

qui,

qui, me judice, maturum et liberum uſum remediorum, ad morbum reſolvendum efficacium, ſequitur, animum adhibemus; in memoriâ ſempèr tenendum, a horum uſu liberali, niſi optata reſolutio accidat, peſſima provenire mala. Debilitas major, quam opus erat, ab evacuationibus attenuantibus orta, naturæ nixus ſalutares, in ſuppurationis ſtadio, ad ſalutem reducendum multò minus efficaces reddet. Dùm igitur, in hujuſce morbi curatione fiduciâ prudens medicus ſe gerit, non parvam ſibi gloriam conflabit; e contrario, remediorum uſitatorum incautus, et ſine diſcrimine, uſus, miſero ægro perniciei, artique ſalutiferæ, quamvis immeritò, haùd parvo probro, non eſſe nequibit.

Quamvis mihi in animo non eſt morbi medelam tangere, tamen mihi temperare nequeo quo minus affirmem, ſanguinis detractionem in hepatitide acuta, ut opinor, nimìs eſſe neglectam; quod hìnc forſàn ortum eſt, quia ejus uſum

uſum intempeſtivum ſumma ſequitur debilitas. Cujus rei cauſa, fuerunt timidi, vel artis ſuæ ignari, medici, qui iſto remedio ſeriùs vel parciùs uti conſuevere. Et ſanè ejus aut nimìs ſeræ aut parcæ detractioni reſolutionem non ſucceſſuram, formidoloſam autem debilitatem genitam eſſe, veriſimile eſt. Si vero, quum primum ſeſe oſtendit morbus, ſanguis, pro ægri ætate, habitu, morbique ſævitiâ, et e parte, et e generali ſyſtemate, quàm liberrimè detraheretur, multo (ni fallor), labori futuro ſuperſederet, vitaque ſexcentorum mortalium ſervaretur. Sed ſi primum morbi ſtadium præteriit, hujus remedii uſus attentionem et judicium requirit, et, morbo progreſſo, magìs dubius evadit.

Porrò, affirmare mihi licet ex experientiâ, quam nupèr habui, et in quâ falli non potui, efficaciam tartari chryſtallorum, in hujus morbi ſpeciei magìs chronicæ medelâ, adhùc non ſatìs eſſe conceſſam. Tametſi mercurius huic hepatitidis

patitidis ſpeciei ſempèr mederetur, quod minimè accidit, triſtes ejus et pernicioſi in corpus effectus ſunt tales, ut medicamentum æquam vel majorem vim ad morbum depellendum poſſidens, ſed malorum, quæ ſæpè ſunt mercurii ſequelæ, immune, magnoperè exoptandum ſit. Hìnc medici *acidum nitricum*, in hujus morbi medelâ, adhibere adducti ſunt, opinione nimìs hypotheticâ, ac quæ in artis praxi diù manere nequiret. Qualiſcunque, igitur, efficacia ejus, in alio morbo depellendo, ſit, boni ejus effectus in lentis hepaticis malis, lubrico fundamento, ut, opinor, adhùc nituntur. Veriſimile eſt, igitur, huic remedio auctorem ejus ſuperſtitem futurum eſſe.

Tartari chryſtalla plagis calidioribus accomodatiſſima videntur, et alicujus operis corpori infeſti immunia eſſe credo. Si hæc, igitur, diuturnas hepatis obſtructiones interdùm amovent, vel etiam levant, proculdubiò nimìs generali mercurii

mercurii uſui ſæpè ſuperſedere debent; qui, cum ſalutem reſtituerit, medelam magnâ cum ſyſtematis virium jacturâ, efficit; et jecur ſic relinquere videtur, ut mali reditui valdè obnoxium pateat.

In nullâ corporis humani parte, morbida actio ſyſtematis reditui tàm proclivis eſt, ac in hepaticis affectionibus. Hìnc qui morbum olìm experti ſunt, ſummâ cum diligentiâ vitare debent cauſas quæ eum inducere obſervantur. Et ſanè crebri hujus mali reditus jecur ad morbidam actionem ita opportunum reddunt ut cauſas tam leves, ut in ſanis nullum, vel ſolummodò pro tempore, ſenſum moleſtiæ creaſſent, excipiat morbi acceſſio, vitam vix tolerandam efficiens.

Huic jecinoris ad morbidam actionem proclivitati optimè obviam it ad ſolum noſtrum natale reditus; ubi, niſi morbus violentior vel diu-

turnus fuerit, corporis robor confirmabitur, natura priſtinum vigorem recuperabit, partique ipſi illæ vires redibunt, quæ eam contra noxas in illam anteà agentes cuſtodient. Et, ſanè, in hujus morbi exemplis, quæ, aut propter violentiam eorum aut diuturnitatem, peſſimi ominis videbantur, effectus hujus ſoli mutationis tàm mirus ſæpè inventus eſt, ut nihil quò minùs ægri ad tale remedium decurrant, eos prohibere debeat. Patriam tamen reviſere, grato amicorum contubernio iterùm frui, ſodales, quos, ineunte ætate, olìm habuimus, lætos amplecti, totam animi contemplationem occupat, corpuſque debilitatum uno graviſſimorum, quo laborat, onerum liberat.

PARS

PARS II.

DE CAUSIS REMOTIS.

Neque enim credunt, poſſe eum ſcire, quomodo morbos curare conveniat, qui, unde hi ſint, ignoret.

CELSUS.

AB ipſis medicinæ primordiis, quam difficile ſit, multarum rerum in corpus agentium rationem plenam reddere, *phyſiologis* ſempèr fuit perſuaſum. Et poſt plurimum in inveſtigatione laborioſâ temporis conſumptum, judicii eorum paritèr atque humanitatis argumentum, rem in medio relinquere ſæpè coacti ſunt. Sed, quamvis tentamen, aliquarum rationem reddere cauſarum, propterea quod in tenebris adhùc lateant, pleroſque homines in errorem inducere periclitatur: tamen aliæ ſunt quarum modus in

corpus

corpus operandi multo magìs patet, et in quarum inveſtigatione prudentia et matura deliberatio vice fungi poſſint felicioris ingenii, ad concluſiones rei medicæ utiles inferendum. Hujusmodi ſolùm cogitationibus, de cauſis, quibus morbum hunc attribuo, ratiocinari adductus ſum.

In diverſis plagis, et ſub diverſis cœlis, in diverſis quoque ejuſdem regionis partibus, hominum conſtitutiones et morbos valdè diverſos eſſe, jampridèm obſervavit Hippocrates et Galenus. Effectus, quem cœlum edit in conſtitutiones *Europæorum*, qui, diverſis ætatis temporibus, ad Indiam ſe recipiunt, medicinæ plurimi inteteſt; ſive in ſecundam eorum valetudinem tuendo, ſive adverſæ medendo, verſamur.

Diſſertationem talia complectentem exarare olìm ſtatui: ſed adverſa, quâ nupèr uſus ſum, valetudo, de iis quæ cogitationem tàm intenſam

ſam non poſtulant, ſcribere me coegit. Verum ſi iſtam regionem remotam unquam poſthàc reviſam, et tali indagationi operam meam dandi occaſio oblata fuerit, eandem lubentèr captabo; quoniam mihi perſuaſum eſt, pleraque mala, quæ ibì formidini nobis ſunt, vel quibus occurrere debemus, hìnc provenire.

Quamvis conſiderationem omnium effectuum, qui *Europæorum* conſtitutionibus accidunt in Indiâ, mihi ſuſcipere nequeo; tamen tales effectus tàm arctum cum hâc diſſertationis parte nexum habent, ut eos levitèr perſtringere mihi neceſſarium eſt.

Inſignis iſta neceſſitudo, quæ inter aërem, quem trahimus, et vitam ipſam intercedit, ſolùm, cum mors advenerit, perditur. Quod etiamſi primis ferè mortalibus neceſſaria cognitum fuiſſe probabile eſt, per multa ſecula homines ingenioſi, a quo hic nexus pendeat, fruſtrà

quæſiverunt.

quæſiverunt. Philoſophi hujus ætatis, hanc naturæ ſemitam, ad id temporis incognitam, patefacere, a fato decretum eſt; conatibus eorum aſpiravit fortuna, ſcientiæ facies mutata, ævumque in medicinæ annalibus fauſtum dehìnc inchoavit.

Ab egregiis his viris, aërem, quem trahimus, compoſitum eſſe, et, cum ejus partes certam rationem ſequantur, varia corporis munera, ſecundæ valetudini maximè convenientèr, peragi, compertum eſt. Porrò benè notum eſt, atmoſphæram ambientem in corpus humanum ità incumbere, ut tali oneri brevì ſuccumberet, niſi natura corpus vivum ei reſiſtendi æquâ vi inſtruxerat. Naturæ quoque ſapientiæ conſentaneum eſt credere, atmoſphæram, vitæ et ſecundæ valetudini maximè accomodatam, iſtâ peculiari gravitate, quæ renixui vivi ſyſtematis quam maximè æqualis eſt, præditam eſſe. Et tutò concludere nobis licet, ni alteriuſutrius ratio

variaret,

variaret, homines morbi immunes forent, vitaque eorum ad ſummam ſenectutem produceretur. Sed talis ſtatus perpetuus impoſſibilis eſſet, et, a cunis uſquè ad ſupremum diem, hujus inæqualitatis effectus magìs vel minùs ſentimus, qui tamen, non dubito, utiles ſunt, quoniam ſubitas majoreſque cœli temperiei mutationes, in vitæ genere laborioſo non vitandas, perferendo corpus habile reddunt.

Ratio uſuſque, quibus ſolis in rei medicæ ſtudio tutò progredimur, has variationes ſæpè eò procedere ut ſalutares corporis nixus ſuperent, docent. Quum hoc citra morbum ſubſiſtat, tamen a ſanitate recedat, corporis ſtatus, qui, cauſâ inuſitatâ adhibitâ, citò morbum creat, inducitur.

Status hicce apud medicos *opportunitatis* nomen adeptus eſt, qui hominum naſcentium conſtitutionibus ineſſe, vel a cauſis in corpus

per vitæ curſum agentibus, gigni poſſit. Sed, præter hanc prædiſpoſitionem magìs generalem, forſàn concludendum licet, quoſdam temperiei gradus, vitæ genera quædam, aliaque nonnulla, in aliquam, præ reliquis corporis, partem, magìs rectà agere: vel, quod manifeſtiùs erit, ſtructuram, ſitum et munus uniuſcujuſque functionis vitæ neceſſariæ, in peculiari quâdam cœli temperie, eandem morbo obnoxiam reddere.

Hunc ſtatum, prædiſpoſitionem localem nominare mihi videtur, qui generali ſuperadditus, partis conditionem brevì inducit, earum cauſarum actioni opportunam, quæ præcipuæ eam in morbum noſologicum rapiunt.

Sic rationem reddimus affectionum pulmonum magìs frequentèr occurrentium in plagis ſeptentrionalibus, quam regionibus calidioribus, ubì catarrhus et pneumonia raró graſſantur.

Igitur,

Igitur, eâdem lege ad Europæum Indiæ incolam tranſlatâ, opinor, temperaturam generalem cauſaſque alias ad eam pertinentes, communem univerſi corporis, et præſertìm magis localem jecinoris, potiùs quam pulmonum vel ullius alius ſyſtematis actionis, prædiſpoſitionem inducere; adeò ut, in hac regione, et in Indiâ, eaſdem cauſas excitantes plerumquè ſequitur affectio ejus partis in quam præcipùè cœlum prius ſuum effectum edidit; hìc pulmonum, illìc jecinoris, conditio morbida.

Ad hoc, in nonnullis regionibus vel diverſis ejuſdem regionibus partibus quæ eâdem atmoſphærâ frui videntur, idem morborum genus oriri; cujus argumentum eſt febres intermittentes in regionibus ſimilibus inque partibus ejuſdem regionis ſimilibus graſſari. Hæc rationis ſimilitudo, me judice, a Gadibus uſque ad Ganges regnum obtinebit. Hanc rem pulchrè confirmat loci mutatio a morbi ſede natu-

 rali

rali ad aërem ſicciorem quamvis vicinum. Febris paulatìm recedit, et ſæpè ſine medicinæ ope prorſùs evaneſcit; vel, ſi ad medicinam decurrere neceſſe eſt, effectus qui ſequitur deciès major eſt quam ſine loci mutatione fuiſſet. "Quum ergo morbus in regione aliquâ graſſari "obſervatur, ſed ſub alio cœlo rarò occurrit, "ſatìs veriſimile eſt, malum ex cœlo originem "ducere; et ſpes naſcitur, ægrum, ſi in re- "gionem malo liberam abeat, beneficium ex- "indè accepturum." GREG. De Morb. Cœl. Mut. Med.

His præmiſſis de opportunitate ad hunc morbum, quæ, ut mihi videtur, ~~in~~ *Europæorum* in Indiâ conſtitutioni et jecinori ineſt; pauca diſſerere de cauſis manifeſtioribus quæ ejus actionem cient nùnc pergam.

Calor.

Calor.

1. Quum animadvertamus *Europæorum* conſtitutiones in Indiâ ſempèr ferè ſub cœlo exiſtere, cujus calor medius gradibus quadraginta violentior eſt quam is, ſub quo creverunt, et naturalis ſoli vigorem acquiſivere; quumque delicata et elegans corporis humani fabrica conſideretur; mirum eſt, pernicioſum talis cœli diverſitatis effectum non latiùs patere. Homo autem hominis opus non eſt: Opifex ſummus, ad ejus neceſſitates ſempèr attentus, corpus primitùs ità creavit, ut, ſine magnâ noxâ, locis tempeſtatibuſque ſe accommodare poſſit.

Qualis ſit peculiaris caloris gradus ad hepatis morbos creandum proclivis, me ignorare confiteor: ſed, me judice, nobis ſatìs licet cenſere, prædiſpoſitionem eò magnitudinis interdum

dùm procedere, ut, ſine ullâ aliâ ope, morbum gignat. Plerumqùe, vero, concludendum eſt, cauſam excitantem requiri, et, proùt conſtitutionis et hepatis in diverſis hominibus, ad morbum proclivitas magìs vel minùs exquiſita ſit, caloris gradum, prædiſpoſitionis magnitudinis rationi conſentaneum eſſe debere. Sìc, cum prædiſpoſitio maxima ſit, caloris gradus eo, qui ad morbum prædiſpoſitionem effecerat, paulò major ſatis eſſe poſſit, vel vice verſâ : ſeu, aliis dictis, prædiſpoſitio et caloris gradus, qui ad morbum hunc generandum valet, ſui invicem rationem inverſam ſequentur.

Calor univerſis vaſis ſanguiferis vehementi ſtimulo eſt. Solida ſtimulat, et, corporis humani in eâ regione pathologiæ non incongruum eſt, credere, fluida extenuare, ſanguinemque viſcerum chylopoieticorum multum acriorem reddere quam qui blandè et regula-

ritèr

ritèr per complicatam hepatis fabricam tranſmitti poteſt.

Subitæ Temperiei Mutationes.

2. Res in phyſiologiâ minimè nova eſt ,in diſtributione ſanguinis inter externas et internas corporis partes rationem accuratam exiſtere: hancque ſaluti adeò neceſſariam eſſe, ut ſi, frigore vel aliis ſubitò applicatis, vaſorum extremorum in ſuperficie diametri minuuntur, vel prorſùs conſtringuntur, juſta fluidi copia excluditur, et periculoſa ad partes internas derivatio fit, unde, ſub cœlo variante, homines morbis, ab iſto fonte provenientibus, quotidiè ſunt obnoxii. Sed natura hoc magnum incommodum prævidens, neceſſitudinem inter quædam egeſta ſapientèr inſtituit; adeò ut cum unum ullo modo imminuatur, alterum pro ratâ parte augetur. Hic mutuus nexus inter urinæ ſecretionem et perſpirationem inſignis obſerva-

tur.

tur. Hoc modo, ſine dubio, multa mala, quæ nobis alitèr offeciſſent, mitiora evadunt, et ſæpè omninò prohibentur. Sed, quoniam per unamquamque harum viarum, diverſa acrimonia in corpore generata jàmque noxia facta educitur, unam ſecretionem acrimoniam alteri propriam ſubtrahendo inhabilem eſſe. Et, quamvis renes idoneam promptamque viam præbent, quâ repulſus aquoſus halitus cuticularis corpore egrediatur, et malis, ab aquæ nimiâ abundantiâ provenientibus, occurrunt, et ſic aliqua pars acrimoniæ, quam continuerant, elabitur; tamen ſatis veriſimile eſt, maximam nocentis hujus materiæ partem relinqui, quæ, nullâ portâ datâ, ſanguini in circuitu ejus admiſcetur, creſcens, vireſque eundo acquirens, donec jecur, jampridèm opportunum redditum, ad actionem morbidam poſtremò ciet.

Inſupèr opinari licet nobis, multis in exemplis, perſpiratione ſubitò et violentèr cohibitâ,

bitâ, naturam nimis citò turbare, et ſic generalem ad inſtrumenta urinaria, vel ad inteſtina, (per quam ſyſtema levaretur), deterinationem, non fieri; hìnc duplicem cauſam in morbum excitando agere, nempe, ſtimulum nimiæ diſtenſionis, et ſtimulum quem acrimonia gignit. Nec, ut opinor, abſurdum erit putare, halitum cuticularem huncce, a ſuperficie ad interiora corporis repulſum, ſecum portare plus minuſve materiæ ſebaceæ cutis, acrimoniam augentem, opuſque ejus corpori magìs noxium reddentem.

Vini, Liquorum Spirituoſorum vel Fermentatorum, necnon cibi, uſus nimius.

3. Nihil obſervavi ſaluti in Indiâ magis officere quam generalis ſuprà relatorum uſus: et compertum habeo, plurima malorum, quibus *Europæi* ibì plectuntur, inidoneum eorum vivendi modum cauſam agnoſcere.

Utcunquè rei ipſius rationem reddimus, ſub primordiis rei medicæ ſatìs notum fuit, intempeſtivum liquorum ſpirituoſorum uſum, opere pernicioſo, et forſàn ſpecifico, in jecur agere, quam rem poſteritatis experientia tantùm firmavit.

Præter noxios effectus, omnibus hiſce liquoribus communes eſſe creditos, porrò obſervandum eſt, liquores fermentatos, (quorum magna copia in Indiâ conſumitur), viſciditate quâdam inſtructos eſſe, quæ proclivis eſſe poſſit ad augendum ulla mala a tardiori ſanguinis per jecur tranſeuntis motu provenientia. Cujus argumento eſt, tales liquores in eâ regione ad jecoris affectiones morbidas creandum magìs eſſe idoneos, quam nobis licuiſſet credere a portione ſpiritûs quam continent. Ad hoc, fertur, talis potus uſum morbum præſentem graviorem, ægrumque redeunti magìs opportunum, reddere. Porcorum, qui tali die-

tæ

tæ genere ſaginati ſunt, jecora ſolito majora eſſe, accepi.

Quum homo ut animal ratione præditum conſideretur, quam fœdè animi dotibus, quas præ cæteris animantibus divinitùs poſſidet, abutitur, menti horrori non eſſe non poteſt. Quam ſedulò, quamque variè, noſtrates in Indiâ, naturalem hominis cibum coquunt et vexant, ad fugaces voluptates conſequendum, voluptates dolore emendas!

Cum vehemens et generalis cibi luxurioſorum ſtimulus, plurimis cœlo propriis nec vitandis inſupèr additur, juvenes et inconſultos plerumquè adoriri violentiſſimam morbi formam, non mirandum eſt. Robur eorum indiès creſcens, ſanguiniſque motus rapidus, animi affectus vehementiores, etiam cum nulli ſtimuli præter ſolitum applicantur, illos, præ cæteris, morbis graviſſimis opportunos, præſtant. Quam

dira

dira mala, ſtimulorum vehementium, quos ſupra retuli, vim conjunctam ſequantur?

Quamvis homines vitam ſuprà relatam aliquamdiù impunè degant, ſenectute adventante, cohors malorum, cui medentis peritia ſæpè adverſatur fruſtrà, ſequela ejus fit. Senectus præmatura, triſtis et melancholica mens, (voluptatum debilitantium proles), effrenæ indulgentiæ præmia ſunt.

Venus Immodica.

4. Hæc diſſertationis pars proximè præcedenti ſimilis eſt. Cibi potuſque intemperantia ipſa non ſolùm nocet, ſed etiam pernicioſa evadit propter coitûs deſiderium immodicum quod creat. In omnibus orbis terris hæc maximæ debilitatis origo eſt, et prematuram ſecum adfert ſenectutem. Quanto magìs, igitur, noceat, neceſſe eſt, ſub cœlo ubì tot cauſæ ad vim vitæ conſumendam conjurant.

Inſolatio.

Inſolatio, Gall. *Coup de Soleil.*

5. Hæc, ob conſenſum inter ſenſorium et jecus creditum, pro hujus morbi cauſà ſæpè habetur. Morbum a tali conſenſu, per ſenſorium univerſo corpori ſtimulum præbente, interdùm provenire, ſatìs credibile eſt; ſed, quoniam totum corpus æquè patet calori iſti qui ſolis ictus efficit, forſàn potiùs caloris magnitudinis argumentum haberi debent; eundemque effectum in jecinore accidiſſe, poſthabitâ peculiari caloris in cerebrum rectâ actione, probabile videtur.

Animi Affectus.

6. Hi opere aut nimio aut deficiente agentes, in corpore jàm proclivi ad morbum facto, jecoris affectionem generare periclitantur. Illi ſtimulum juſto majorem præſtant; hi ut ſanguis tardiùs circumvehatur efficiunt: undè

viſcida

viſcida jecinoris fluida minori vi promoventur, et tandèm fluere prorſùs deſinunt.

Subiti et Violenti Corporis Conatus.

5. Hi ſanguinis circuitum nimìs accelerant et inæqualem reddunt; vel partes nimìs intendere poſſint.

Vitæ Genus Otioſum.

8. Hoc corpus plethoricum, ſanguiniſque circuitum tardiorem, reddit.

Veſtitus.

9. Europæorum veſtitus viſcera arctiùs conſtringit et comprimit, ſanguiniſque circumeuntis æquabilitatem turbat.

Alteram hujuſce morbi cauſam habeo inæqualem inter egeſta et fluida ingeſta rationem. Cum illa multo ſuperent hæc, ſyſtematis

tis ſtatus inducitur qui manifeſtè originem morbo præbeat.

Subitæ et Frequentes Ventriculi Diſtentiones.

10. Bene notum eſt homines, ullis hujus morbi formis laborantes, cum ventriculus cibo, potu vel flatu diſtendatur, dolorem ſolito majorem ſentire. Hic dolor huic inſtrumento morbi ſedem prementi attribuitur. Satìs credibile videtur hoc interdùm accidere, vel ſaltèm dolorem, ab effectu, quem, ventriculus in lienem edit, augeri.

Quoniam lien in homine ferè prorſus vaſcularis eſt, multò majorem ſanguinis quantitatem, pro ejus magnitudine, quam ulla alia corporis pars, accipit; et ea eſt inter eum et ventriculum neceſſitudo, ut, cum hic eſt vacuus onere, et ſitum ſuum mutavit, lien compreſſione liberatus, ſanguini in eum propulſo cedat, undè multùm

multùm augetur. Hìnc ulla diſtenſionis in ventriculo cauſa lienem turgidum comprimet, ſanguinemque in eo contentum in venam portarum protrudet.

Contagio.

11. Navis, cujus nautarum ſaluti ipſe præfui, anni M,DCCXCVI. æſtate, ad inſulam St Helenæ decem hebdomadas manebat. Acuta hepatitis exquiſitè formata complures nautarum adorta eſt. Sanguis eductus tunicâ inflammatoriâ et tenaci coopertus eſt, ſed fluida brevi poſteà ad putredinem valdè proclivia fuerunt. Tamen nautæ cæterarum navium, quarum multæ in rebus ſimilibus ſitæ erant, morbi prorſùs immunes fuere.

Hoc et nonnulla alia mihi perſuadent, ſynochum Culleni, in Indiâ ſaltèm, in definitione acutæ hepatitidis requiri.

Hujus

Hujus rei ſummâ diffidentiâ mentionem facio, et lubentèr attentionem rogarem hominum, quibus obſervandi hanc rem facultas eſt, monſtrare, an, in quibus caſibus, exquiſitè formata acuta hujus morbi ſpecies unquàm per contagionem propagetur, necne? Mihi ſatìs credibile videtur, rem ità ſe habere, quamvis hoc demonſtrare me nequire confiteor.

Multæ aliæ cauſæ exiſtunt quibus affectiones hepaticæ in Indiâ tribuerentur. Res quidem leves, quæque nullius momenti videntur, ad perturbationem creandum, ubì prædiſpoſitio magna eſt, ſatìs valere opinor. Si, igitur, conſideretur unaquæque cauſarum ſuprà relatarum, forſàn aliarum, quarum mentionem non fecimus, mòrbum totiès occurrere in regione, ubì ferè univerſæ cauſæ quotidiè conjuncto opere in conſtitutionem *Europæorum* agunt, mirari debemus?

PARS III.

DE CAUSA PROXIMA.

Supra dixi, veriſimile eſſe, cum *Europæi* magìs vel minùs diù in Indiâ degerint vitam, in jecore præ ceteris partibus, ad morbum opportunitatem gigni. Hæc ad morbum proclivitas, ut opinor, in *debilitate mobili* continetur, per quam ſignificarem, debilitatis formam modificatam, poteſtatibus nocentibus quam maximè opportunam, quæque major ſit in unâ vel alterâ hepatis parte quam in cæteris ejuſdem partibus. Sed, quoniam diverſarum corporis partium vis vitæ, aut omninò, vel partìm, a quantitate ſanguinis arterioſi per eas tranſeuntis, pendet; hæc *mobilis debilitas*, cæteris paribus, ſyſtema venæ portarum afficiet, vigore arteriæ hepaticæ parùm conſumpto. Hinc vis activa in hâc manere poſſit,

quum

quum illa paſſiva facta ſit. Hìnc quoque, me judice, chronicæ jecoris affectiones, quas ad venam portarum pro ſede relego, multò ſæpiùs *Europæos* in Indià aggrediuntur, quam acutæ ejuſdem affectiones, quas in arteriâ hepaticâ contineri, puto.

Ad hanc rem, quam maximè poſſum, illuſtrandum, primùm explanandus eſt modus, quo, ut opinor, utraque morbi ſpecies oriatur; et, quum prædiſpoſitio plerumquè citiùs in ſyſtemate venæ portarum afficitur, primùm inveſtigandum eſt mihi, quomodo ejus obſtructiones fiant, deinde, quum formantur, quouſquè phænomena chronicæ hepatitidi propria explicent.

In acutâ hepatitidis ſpecie, ut in arteriâ hepaticâ, et chronicâ, ut in venæ portarum ſyſtemate, poſitis, conſiderandis, celeberrimi Monronis opinionem ſequutus, putavi, præcipuum

 uſum,

uſum, cui arteriæ hepaticæ ſanguis inſervit, eſſe, jecur ad munere ſuo fungendum incitare.

Igitur hâc opinione nixus, exiſtimo, ſi, ullo modo, ſanguinis in hepate, vel ulla parte hepatis, quantitas aucta vel imminuta ſit, majorem vel minorem partis vitalitatem et ſenſibilitatem ſequuturas, aliquâ parte pro ratione exceſsûs vel defectûs ſanguinis *oxygenati* in hepate tùnc accumulati circuitum ſuum peragentis.

Chronicam hepatis affectionem creare poſſint cauſæ ſanguinem venæ portarum per id tranſeuntem aut accelerantes aut retardantes. Cauſam accelerantem applicatam fingamus, et, me judice, hæc ſequentur.

Ubì generalis ſanguinis circuitus ab unâ multarum cauſarum acceleratur, jecus, jam proclive factum, præſertìm autem vena portarum, hujus effectum citiùs certiùſque ſentit: multæ res tamen nobis

nobis fidem faciunt, vim prædiſpoſitionis magìs exquiſitam eſſe aliquâ in parte, vel in diverſis partibus, hujus vaſorum ſyſtematis quam in aliis ejuſdem. Igitur, ſanguinis momento, et ſæpè etiam maſsâ et acrimoniâ ita auctis, ut vim reſiliendi vaſorum ſuperent, talis ſanguinis accelerationis effectus primùm ſentitur ubì vaſa maximè debilia ſunt. Vaſa autem maximè debilia ſunt, ubi prædiſpoſitio vehementiſſima eſt. Quum, igitur, portæ ſanguis ſuo momento rectà progrediatur, et vis reſiliendi vaſorum validiorum ad hanc debiliorem partem pertineat, (quoniam vis diſtentionis vim reſiliendi vaſorum multùm ſuperat), vaſa cedunt, et diſtenduntur, *inverſa ratione*, quæ inter vim ſanguinis diſtentionis, et renixum quem præbent vaſorum tunicæ parteſque eas circumdantes, intercedit.

Hâc diſtentione effectâ, ductuum biliarium comitum parietes partìm vel omninò comprimantur, neceſſe eſt; quoniam vis diſtentionis ſanguinis

ſanguinis à tergo vim diſtentionis bilis ſecretæ ſuperat. Verum, quia a fonte ſuo bilis progreditur, curſu fluxui rami venoſi contrario, eadem a parte compreſſâ ad poros biliarios refluere neceſſariò cogitur; undè hi diſtendentur, et munus eorum ſecernens lædetur, vel prorſùs perdetur. Verumenimverò, propterea quod minutæ extremitates venarum ſanguinem revehentium ab iſtis poris proveniunt; diſtenſio aperturas venarum plùs minùſve delebit. Poſtremò, lymphaticis in parte affectâ compreſſis, varii canales, per quos diverſa fluida evadere poſſent, obſtruuntur, et congeſtio hìc quoque fit, indiès ingraveſcens morbumque adaugens.

Inſupèr his addendum eſt, eandem diſtentionem quæ, quò minùs bilis per canalem ſibi proprium egrediatur, impedit, etiam juſtum ſanguinis arterioſi ingreſſum per ramos hepaticos, eorum diametris plùs minùſve imminutis, prohibere. Sed hic ſanguis naturæ incitantis eſt,

ejuſque

ejuſque major vel minor quantitas alicujus partis ſenſibilitatem penitùs afficere videtur. Hìnc inſtrumento ſecernenti ſolito ſtimulo privato, ſenſibilitas ejus imminuitur, minuſque bilis, in chronicis hepatis obſtructionibus quam in ſecundâ valetudine ſegregatur. Et ſi hùc quoque additur nervoſa filamenta, quæ circumdant et comitantur unumquemque venæ portarum ramum, in parte diſtentâ, ſimplicem compreſſionem pati; me judice, ratio redditur, cur chronicas jecoris affectiones tantùm obtuſus dolor comitatur, vel ſæpè nullus, etiam in exemplis, ubi, poſt mortem, cadaverum inflammationem præceſſiſſe, demonſtrârunt.

Quandò, autem, jecur, magis quam ulla alia corporis pars, ſanguinis circuitui reſiſtit; quandòque cordis vis impellens in venæ portarum ſanguinem parùm, ſi omninò, agit, præterque hoc, hunc ſanguinem viſcidiorem eſſe, notum eſt; liquidò conſtat, cum vaſa alicubì magìs ad

morbum

morbum proclivia ſint, diſtentio et ſanguinis obſtructio citò ſequentur ullam cauſam, rectà vel indirectè ſanguinis per venam portarum curſum retardantem, maliſque ſuprà relatis originem præbentem.

His ritè perpenſis, chronicæ hujus morbi formæ cauſam proximam, in partis, vel partium ſyſtematis venæ portarum, debilitate, poſitam eſſe concludere, mihi videtur.

Hepatitidis acutæ originem quod attinet, ut ſatìs probabile concedatur, quamvis arteria hepatica, propter veram ejus ſtructuram arterioſam officiumque, ad ſtatum prædiſpoſitionis non tàm proclivis eſt quam ſyſtema venæ portarum; tamen per cœli, aliorumque effectum a priſtino ſtatu activo, ſed non tantopere, recedere, undè ejuſdem debilitas in parte accedit, quarundam cauſarum actioni opportuna.

Si

Si hoc conceditur, cum ullo modo ſanguinis circuitus acceleratur, et ſanguinis arterioſi major copia ad hepar derivatur, quoniam partis arteriæ debilioris vis ſe contrahendi ei maſſam fluidi promoventi inæqualis eſt, ſanguinem in eam influentem propellere nequit, vaſorum parietes cedunt, eorum area amplior fit, ſanguiniſque copia, ſanitati adverſa, accumulatur. Sed toto cœlo diſtat effectus hujus diſtentionis à venæ diſtentione, propter magnam partis vim vitæ, quam ei præbet ſanguinis *oxigenati* exceſſus; quæ creſcens, ejuſque ſenſibilitatem magìs exquiſitam reddens, dùm ad ſtatum medium redire conatur, truncis et extremitatibus ſuis vim contractilem impertit. Sed variæ poteſtates, quæ ſanguinem ad partem diſtentam propellunt, hâc vi contractili ſuperiores ſunt; cujus vis multùm imminuatur neceſſe eſt, propterea quod contra ſanguinis curſum propagetur. Igitur truncorum diameter eadem manet, et vis contractilis illis propagata vim eorum ſe con-

trahendi tantùm auget: undè ſanguinis ad partem diſtentam fluxus major fit, quod arteriæ, ſtatu activo manente, aliis nixibus contractilibus, majorique ſanguinis quantitati per eos tranſeunti, originem præbet. Sed, quoniam in parte diſtentâ, poteſtates ſanguinem promoventes aliquantùm imminuuntur, niſuſque contractiles ultra eam ſecundum ſanguinis curſum propagantur, minor vis reſiſtendi hìc ſubeſt, et per extremitates partis affectæ arteriæ vis ſe contrahendi ità fertur, ut ad diametrum imminuendam par ſit: undè ſanguinis congeſtio fit, ſummæ partis incitationi, dolori acuto, et febri potiùs typhoidi quam inflammatoriæ, originem præbens.

Verum, quum vis ſe contrahendi a proprietate materiæ animatæ, quæ, tempore interjecto, expendi poſſit, pendeat, et vis reſiſtendi partìm materiæ animatæ, partìm mechanicæ, ideoque inanimatæ, propria ſit; hìnc ſequitur vim reſiſtendi

reſiſtendi, quæ auctæ vis ſe contrahendi origo fuerat, niſi, aliquo tempore interjecto, ſolvitur, pro vis ſe contrahendi magnitudine, augeri, donec, poſt iteratos conatus, hæc perditur, et, niſi ſuppuratio advenit, ſtatus paſſivus activo ſuccedit.

Quamvis arteriæ diſtentæ bilis in ductibus vicinis reditui aliquantùm adverſari poſſint, tamen major incitatio per univerſum earum curſum vim majorem impertit, biliſque ſecretionem auget. Hìnc hæc morbi forma ſæpè, ſed preſertìm principio, hujus fluidi nimiâ abundantiâ ſtipatur.

Ex ſuprà dictis concludere mihi videtur, acutæ hepatitidis cauſam proximam contineri in quâdam debilitate partis vel partium arteriæ hepaticæ, ejus diſtentioni ultra medium ſtatum originem præbente, et quæ, ſecundum ejus trun-

cum et extremitates, ad ſe contrahendum, conatum excitat.

PARS IV.

DE GENERALI VALETUDINE TUENDA.

Quamvis ſummâ diligentiâ et medicinæ peritiâ morbis occurrere ſæpè nequimus; tamen humano generi fauſtum eſt, bonam valetudinem plerumquè penes homines eſſe dici poſſe. Nuſquàm, quidem, majori utilitati foret, regulas ſecundæ valetudinis ſervandæ obſervare, quam noſtratibus in India; et lubentèr in animum juvenum impigrorum, qui illùc commigrant, memoriam revocarem, quæ quantaque bona a ſalutari, quanquam difficili, penſâ, ſummam in vivendi modo temperantiam obſervandi, proveniant.

Inveſtigatio

Inveſtigatio ejus corporis ſtatûs ſecundæ valetudini maximè conſentanei, ampla difficiliſque mihi videtur. Tamen talem indagationem facere conarer, ni, ſi hoc feciſſem, limites, qui diſſertationibus hujuſmodi vulgò præſcribuntur, tranſilirem.

Non negandum puto, hominum, in certis orbis terrarum regionibus, et ſub iiſdem rebus, poſitorum, ſimilitudinem eſſe inter conſtitutiones, quum ſanâ valetudine fruuntur, non minùs inſignem quam inter morbos. Eædem cauſæ morbos arcent, eædem cauſæ iiſdem ſymptomatis, morbos nullo modo diverſos conſtituentibus, originem præbent. Morborum curſus idem; ſimilemque eos tractandi modum idem ſequitur effectus. Quocirca, (ni fallor), nonne fas eſt concludere, naturam, prolis nunquàm immemorem, voluiſſe, varia cœla cæteraſque res illùc ſpectantes, efficere iſtam peculiarem fibræ vivæ conditionem, quæ lenitati morborum,

rum, diverſas terras luſtrantium, maximè favet? "Notum enim eſt, cœlum multo majorem ef-"fectum in peregrinos habere, quam in nati-"vos. Corporis conſtitutio, certo calori aſſueta, "exinde nec multum fert commodi nec incom-"modi." Greg. De Morb. Cœl. Mut. Med.

Si hominum conſtitutionum diverſitas ad amuſſim redigeretur, tanta eſt talis diverſitas ut Indiæ incolarum conſtitutio unam, noſtratum alteram gradûs extremitatem, propè teneret. Cum, igitur, ſolum nativum Indico imparati mutamus, non mirum eſt, morbos citiùs in advenâ gigni quam nativo, formamque aſſumere contra quam ars noſtra nimìs ſæpè nihil valet.

Mecum reputans omnia quæ ad conſtitutionem, quâ gaudemus, vel ad morbos, qui in hâc regione valent, pertinere videntur, curâ quoque adhibitâ Indiæ nativis eorumque morbis exiſtimare adductus ſum, appropinquationem

ab

ab Europæâ ad Indicam conſtitutionem, vitæ genus, inſtituta, &c. ſanitatis ſervandæ cauſâ omninò neceſſariam eſſe; et tale conſilium valetudinem ſatìs certam, ſaltem quod ad cœli mutationem attinet, redditurum.

Quoùſque hæc Europææ conſtitutionis mutatio fieri debeat, nullâ ſingulari regulâ monſtrari poteſt. Tamen obſervandum eſt, quoniam conſtitutio Europæa acmen ſuam attigit, et peculiarem conditionem hujus regionis incolarum ſub ſuo cœlo nacta eſt; perfecta mutatio ad laxum et irritabilem Indici habitum, non ſolùm inidoneum foret, ſed fortaſſe, vita ipſa talem mutationem ferre nequiret. Igitur ſatìs credibile eſt, *appropinquationis* hujuſce gradum maximè ſalutarem, eſſe medium ſtatum vivæ animalis fibræ inter rigidum et tenſum ſeptentrionalium, et laxum irritabilemque magìs auſtralium orbis terrarum; qui, autem, variat pro ætate, con-

ſtitutione

ſtitutione magìs modificatâ, et conſuetudine jàm uſu confirmatâ.

Salutaris hæc Europæorum, qui ad Indiam appellunt, conſtitutionis mutatio per Indiæ cœlum regularitèr efficitur ; et ſi ejus conatus promovere conarentur, curâ adhibitâ effectui, quem ea aliaque in corpora eorum edunt, et quem ipſi in ſe exerunt, talis corporis conditio citò induceretur, et attentione ſervaretur, quæ plerumqùe bonam valetudinem diffunderet. Sed ſanè homines illam regionem contra ſemet armati adeunt ; intemperantia et luxuria illis perniciei ſunt. Et quanquam reflectiones fugaces, vel diuturniores quæ ab ægritudine oriuntur, conſtitutione ſuâ abutendi periculi illos admonent ; tamen tanta eſt imbecillitas humana, tantoperè voluptatis blanditiæ nos alliciunt, et tàm facilè ab iis, qui luxuriam ſummum bonum ducunt, a propoſito avertimur,

ut

ut diuturnam placidamque vitam conſtitutione fractâ, et quæ ab omni cauſâ, etiam leviſſimâ, affici periclitatur, mutemus.

Quum aliquis ad Indiam migrare ſtatuit, patriam relicturus patriæ genus vitæ, et uſitata oblectamenta, ſimul relinquere debet. Naturæ conatus ſatìs occupati erunt in ſanitatis æquabilitate ſervandâ, ſine vitiorum, quorum ſumus fontes, curâ. Sempèrque in memoriâ tenendum, ejus conatus, ad amiſſùm vigorem reſtaurandum, ſtipari jacturam principii, a quo vita pendet.

Dùm ad Indiam appropinquamus, cœlum in conſtitutionem agere incipit, cujus actionem pro virili parte promovere debemus. Alvus regularis, et primùm potiùs laxa, ſervanda. Diætâ tam ſimplici, levi et concoctu facili, quam diuturnæ navigationis natura ſinit, uten-

dum. Veſtitus laxus, et, principio navigationis, aliquanto denſior quam cœlum poſtulare videtur, eſſe debet. Exercitatio crebra ſit, ſed nunquàm ſub ardente ſole. Libera et æquabilis perſpiratio per tenuia diluentia ſervanda. Cum in Indiam jàm ventum eſt, ſimplice cibo, neque condito, quique ventriculum non opprimit, utendum eſt.

Quoniam ſtimulorum vis in cœlo calido ſempèr pertimeſcenda eſt, cibus e plantarum genere petitus, quippe cujus ſtimulus tantùm duas vel tres horas maneat, maxima diætæ pars eſſe debet. Táli cibo plerumqùe veſcuntur nativi, et caro et e carne confecta diæta, cujus ſtimulus ſeptem vel octo horas ſentitur, pro ratâ parte minore copiâ ſumenda eſt.

Fructus refrigerant, ſedant, et antiſeptici

ſunt;

ſunt; et ad eorum uſum largum paulatìm perducendi ſunt Europæi.

Pótus ſit aqua, cui admiſcetur pauxillum vini Madeirenſis, vel *Claret*, vel liquoris ſpirituoſi, Anglicè *Gin* dicti, copioſè interdiù hauſta, ad perſpirationem liberam ſervandam, undè fluidorum circumeuntium ratio equalis cuſtoditur, et ſecundum evaporationis legem, corpus refrigeratur. Vini et liquorum ſpirituoſorum uſus paulatìm deponendus, ſaltèm quoùſque conſuetudo perferet, in quorum locum ſubeat liberalis aquæ uſus. Sed, provectâ ætate, modicus et idoneus vini uſus profit.

Nihil forſàn in Indiâ ſaluti Europæorum magìs favet quam libera et regularis perſpiratio; ad quam efficiendum largus diluentium uſus poſtulatur, et, niſi priſtino vitæ modo prohibente, aqua optima eſt. Poſthabitâ talis derivationis utilitate, quâ fluidorum æquabilitas

 ſervatur,

ſervatur, alii, neque parvi momenti, uſui in illâ plagâ inſerviat, neceſſe eſt. Legi naturæ cuidam convenientèr, pro evaporationis ab ullâ datâ parte ratione generatur frigus, quod corpus, temperaturâ medii ambientis multo inferius, neceſſariò ſervat. Et quanquam in India corpus vivum in temperaturâ, naturalem ejus calorem ſuperante, ſæpè poſitum eſt, tamen, quoniam auctam temperaturam ſequitur aucta evaporatio, ipſa cauſa quæ ei perniciosa videtur, ſapienti naturæ lege ſaluti ejus conſulit. Hìnc utilitas ſalutarem hanc evacuationem per larga diluentia ſervandi. Hìnc quoque aër ſiccus corpori, flabelli uſu, ſæpè admovendus, (cujus bonum effectum experientia nativos docuit, quamvis ejus rationem reddere nequibant), ad corporis evaporationem frigoriſque generationem, promovendam. Eidem cauſæ acceptum referendum eſt magnum periculum a perſpiratione cohibitâ ortum, quod non ſolùm partibus internis congeſtionem formidoloſam minitatur,

tatur, verum etiam corporis temperaturam tantopère auget ut vitæ ipſi adverſa fiat.

Exercitatio lenis et frequens, ſed ſempèr citra defatigationem, eſſe debet. Sub ſole matutino optimum eſt corpus exercere. Tùm equitare vel ambulare circum rura tutum neceſſariumque eſt. Patentia, ſicca, et excelſa loca, in quibus exerceatur corpus tutò, eligenda; et effluvia lethalia ſtagnis vicina, et materiæ putridæ, ſummà curà evitanda, ſunt. Ubi corpus ſic exerceri nequit, per inſtrumentum, Anglicè *fleſh-bruſh* dictum, crebrò fricandum eſt. Quando ſolis ardor maximus eſt, nemo ſuâ ſponte ei ſe objicere debet: moſque per paucas horas inter radios ejus meridianos ſomno indulgendi ſine dubio prodeſt, et vigorem, quem labor matutinus conſumpſerat, reducit.

Animus omni attentione tranquillus ſervandus eſt; ab eo enim corpus facilè afficitur, ejuſque

ejuſque affectus violentiores magni detrimenti cauſa ſunt. Quamobrèm quum veſper advenerit, publico diei finito opere, talibus occupationibus, quæ animo oblectamento ſunt, verſandum. Hìnc veſpere Dei adoratio, quippe quæ quum mentis ſibi conſciæ benè actæ vitæ effectus eſt, animum delectat, religioſè colenda. Saltatio et venatio, quæ morborum diuturnorum et periculoſorum origo ſæpè exiſtunt, nunquàm adhibenda ſunt.

Somnus labori corporis æquandus; non nimìs producendus, ſed ſæpìus quam ſemèl per viginti quatuor horarum ſpatium iterandus.

Europæorum in India ſe veſtiendi modus illi regioni minimè convenit. Corpus nimìs coarctat, vincit, et calefacit, et ſic viſcera obſtruit, ſanguiniſque per ea circuitum turbat. Veſtitus levis, laxus, et albi coloris eſſe, debet. Tribûs Perſicæ ibì veſtitus libero ſanguinis per corpus

corpus circuitui maximè favet. Pilei albi leviſſimique eſſe debent. Color niger calorem abſorbet, morbiſque periculoſiſſimis origo eſt. Clarus Franklinus fœminarum pileis pannum coloris nigri intùs aſſui monet, quo a pulchrâ earum facie arceantur ſolis radii qui funditùs reverberantur.

Balneum frigidum bis die adhibendum, induſiaque non nimìs ſæpè mutari poſſunt. Capilli breves, rari et ſine pulvere ſint.

Domus in apertis locis, et a ſe invicèm ſeparatæ, ædificentur; et dùm directi ſolis radii excluduntur, aër per eas liberè perflare debet.

Dira mala, vivendi modum ſpectantia, in quæ noſtrates incidunt, non ſolum generali ſyſtemati nocent; verum etiam, propter immodicum veneris deſiderium quod una cum cœlo

creant, pernicioſa evadunt. Mala hìnc provenientia ſatìs nota ſunt; igitur Celſi verba ejus regularem et idoneum uſum ſuadentia hìc loci mihi citare liceat. "Concubitus "vero neque nimis concupiſcendus, neque nimis pertimeſcendus eſt. Rarus, corpus excitat; frequens ſolvit. Cum autem frequens, "non numero ſit, ſed natura, ratione ætatis, "et corporis, ſcire licet, eum non inutilem eſſe, "quem corporis neque languor, neque dolor "ſequitur. Idem interdiu pejor, tutior noctu; "ita tamen, ſi neque illum cibus, neque "hunc cum vigilia labor ſtatim ſequitur. Hæc "firmis ſervanda ſunt; cavendumque, ne in "ſecunda valetudine adverſæ præſidia conſumantur."

Paucæ hæ obſervationes tuendæ Europæorum in Indiâ ſanitati accommodatæ ſunt; et perſuaſum habeo, maturam et rigidam ad quæ ſuprà dixi attentionem, malos cœli effectus abacturam,

acturam, et vitam ad provectam ætatem incolumem protracturam, eſſe; et, quum, divitiis honeſtis paratis, ad patriam redirent, ſecundæ valetudinis tantum illis ſuperfuturum, quo, per multos annos inter amicos conſanguineoſque, his facultatibus, quas induſtria pepererat, fruendo idonei forent.

Contrà, quam diverſæ ſunt ſequelæ vitæ in his partibus inconſultò actæ! Juvenes et vegeti, ſuæ temeritatis victimæ, quotidiè pereuntur. Homines obſervantur domum redire, locupletati quidem, ſed cum conſtitutionibus adeò fractis, ut vitâ frui nequeant; triſtes et mobiles animos, fruſtràque ſperantes, illam valetudinem recuperare, quam ad Bacchi Veneriſque aram amiſerant.—"Voluptas et dolor "(ut pulchra *Socratis* fabula docet) ſorores "fuerunt, utcunque diſſimiles, diverſamque "ſortem expertæ, altera nimirum optata et

" grata omnibus, altera pariter inviſa; quas ta-
" men Jupiter ita ſociavit, et tam indiſſolubili
" vinculo conjunxit, ut quamvis natura con-
" trarias, et diverſe ſpectantes, quicunque
" alterutram amplectitur, alteram trahat ſi-
" mul." Greg. Conſp. Med. Th.

FINIS.